quibus ad celum liventia brachia tollens
pascere crudelis nostro Latona dolore
pascere ait. satiaque meo tua pectora luctu.
corque ferum satia dixit per funera septem
efferor. exulta. victrixque inimica triumpha
cur autem victrix. misere mihi plura supersunt
quam tibi felici. post tot quoque funera vinco.
Dixerat et sonuit contento nervus ab arcu
qui preter Nioben unam conterruit omnes.
illa malo est audax. stabant cum vestibus atris
ante toros fratrum demisso crine sorores.
e quibus una trahens herentia viscere tela.
imposito fratri moribunda relanguit ore.
altera solari miseram conata parentem
conticuit. subito duplicataque vulnere ceco est.
oraque compressit nisi postquam spiritus exit.
hec frustra fugiens collabitur. illa sorori
immoritur. latet hec. illam trepidare videres.
sexque datis leto. diversaque vulnera passis
ultima restabat. quam toto corpore mater
tota veste tegens. unam minimamque relinque
de multis minimam posco. clamavit et unam.
dumque rogat pro qua rogat occidit. orba resedit.
exanimes inter natos. natasque virumque
diriguitque malis. nullos movet aura capillos.
in vultu color est sine sanguine lumina mestis
stant immota genis. nichil est in imag[illegible]
[illegible]
congelat. et vene desistunt posse moveri.
nec flecti cervix. nec brachia reddere motus
nec pes ire potest. intra quoque viscera saxum est.
flet tamen et validi circumdata turbine venti
in patriam rapta est. ibi fixa cacumine montis
liquitur. et lacrimas etiam nunc marmora manant.
Tum vero cuncti manifesta numinis iram
femina virque timent. cultuque impensius omnes
magna gemellipare venerantur numina dive.
utque fit a facto p[illegible]re priora renarrant.
e quibus [illegible] ait. [illegible]que fertilis agris
non imp[illegible]m veteres sprevere coloni.
res obscura quidem est ignobilitate virorum.
mira tamen. vidi presens stagnumque locumque
prodigio notum. nam me iam grandior evo
impatiensque vie genitor deducere lectos
iusserat inde boves. gentisque illius eum mihi